


ORDO, ET ORDINIS
 RATIO IN LEGENDIS HIPPO-
 CRATIS ET GALENI LIBRIS,
 PER IACOBVM SYLVI-
 um Medicum.



P A R I S I S.

Apud Christianum Wechelum sub scuto Basilien-
 si, in vico Iacobæo : & sub Pegaso, in vi-
 co Bellouacensi. M. D. XLI.



Iuris vtriusq; prudentissi-

MO AC INCORRUPTISSIMO SENA-
TVS PARISIENSIS PRIMO PRAESIDI PE-
tro Lyseto, Iacobus Sylvius Medicus S. P. D.



ingularis virtus tua, & eruditio incredibilis fecit omnino, vt tibi vni præter ceteros laborem hunc meum de medicæ lectionis ordine dedicarem, mole quidem exiguū, sed facultate maximū. Nam ordinis tanta est pulchritudo, tan-
taque vis rebus in omnibus non modò huma-
nis & naturalibus, sed etiam diuinis, vt nihil iustum, nihil re-
ctum, nihil à reprehensione liberum habeatur, quod ordinatum non sit: idq; quò est ordinatus, eò perfectius: quantòque minus habet ordinis, tanto imperfectius aestimetur. Nec alia
virtus inesse rebus cunctis videtur, quām ordinis ratio: quæ
adeò latè patet, vt in pauca cogi nequeat. Siquidem iam inde à
concepto semine in corporis partibus formandis, perficien-
dis, augendis, nutriendts, ad interitum usque alterationum suc-
cessio, actionūque naturalium ordo exquisitus cernitur. nec
ratione alia in plantis omnibus, in cibo item & potu, cæteris-
que causis salubribus, ordo aliquis est necessarius, si animal sa-
num est futurum. Est etiam in vitæ conditionibus ordo, ac or-
dinū secretio. hinc priuatus ordo, equestris ordo, & nunc quoq;
regius, in militia item ordo, religiosus & sacer ordo, in Repub-
lica bene constituta ordo, in familia bene morata ordo, & vbi
non? Hinc factum arbitror, vt absurdissima omnia non mo-
dò factu sed etiam dictu, ordine carere vulgo dicamus: & iis-
dem pro remedio esse ordinem adhibendum. Quid de me-
moria tam naturali quām artificiali dicam? quarum vt illa ci-
tra ordinem nulla esse possit, ita hæc à Simonide poëta per con-
uiuarum ruina domus oppressorum ordinem inuenta: deinde
aucta & illustrata multis imaginibus ordine certo collocatis?
An non miramur partium anni quatuor ordine fieri quotan-
nis vicissitudines? ac multo magis corporum cœlestium mo-
tus tam ordinatè iam inde à condito orbe perpetuari, nulla in
re mutatos? argumentum summi illius diuinique ordinis, quem
tanquam bonum, omnia appetunt, ad eumq; se confirmant, ve-
lut ad regulam quandam non Polycleti, sed planè cœlestem.

a ii Nec

Nec ordine suo nunc diffinitorio, nunc resolutorio, nunc com-
positorio (sic enim appellare cogimur) disciplinæ carent: sed
vnum aliquem ex his vbique exprimunt, ac omnium maximè
medicina. In qua etiam discenda rerum ordinem composite-
rium alicubi attigerat Galenus, ac opinor perfecerat libello
in id instituto, sed eo media plus parte mutilo, desiderat ordo
videri, & à medicis inter legendum seruari. Quæ res nobis sti-
mulos dedit, vt quod in eo Galeni libello desiderari poterat,
sufficeremus, & ordinis præterea nostri rationem redderemus.
Cuius laboris quanta sit futura vtilitas, medicorum libros le-
cturis, etiam ante experientiam cunctis perspicuum est. Fue-
rit autem noster hic commentarius non modò dux quidam
certissimus & tutissimus viæ in legendis medicorum libris ser-
uandæ: sed etiam velut index ac coticula, qua possit quis me-
dicum explorare, an sit legitimus & medici nomine dignus:
aut titulo tenus medicus, & qui iniquissimè sibi nomen medici
arroget. quorum etiam hodie maxima est turba, quos æquitate
tua fregi republica propediem extrusum iri confidimus. Fue-
ritque ad istos sycophantas & logiatros deprehenden-
dos huius indicis maior in republica, non dico
vtilitas, sed necessitas, quam indicis au-
rum & argentum explorantis.

Vale ordinis huius Se-
natorii cory-
phæ.

ORDO, ET ORDINIS

RATIO IN LEGENDIS HIPPO-

CRATIS ET GALENI LIBRIS,

PER IACOBVM SYLVI-

um Medicum.



VVM artis omnis constitutio à finis notione proficiuntur, artificem quoq; quisquis fingere ac formare aggreditur, finem illi proponat oportet: in quem ceu laborum omnium scopū, totus sit intentus: suos omnes conatus, studia, curas deniq; omnes coniiciat, nec prius à labo-
rando quiescat, quām optato fine fruatur. Hoc tamen interest, quōd qui artem constituit aliquam, à fine in causas propinquas resoluto, incipit: nec antē à resoluendo cessat, quām ad primas & remotissimas causas peruererit. Contrà verò qui artificem instituit, fine sibi primūm proposito, omnia vestigat media or-
dine certo, quoad finem sit assequutus. Quomodò qui Romam petit, eam ceu finem & viæ scopum animo semper gerit, & iter disquirit quām potest certissimum, rectissimum, modis omni-
bus clementissimum, quod antē diligenter emetitur, quām vr-
bem ipsam attingat. Medicum igitur formaturi, medicinæ ipfi
finē propo iāmus, quem animo semper cernat, & in quem sua
deinceps omnia studia conferat. Is autem medicinæ finis est sa-
nitas, qua homini (vt idem etiam de cæteris animantibus pro-
nunciem) nihil est optatius, ob id, quōd per hanc actiones suas
omnes integras obit. Est autem illa sanitas partibus similaribus
sua, sua item organicis, sua deniq; toti corpori ex ambabus his
partibus consistenti. Quomodò autem non ex quo quis ligno
Mercurius fingi queat, vt est in Adagiis, sed aliud ipfi expri-
mendo, buxeum verbi gratia, aptissimum fuerit, ficulnum in-
eptissimum: sic neque qui quis Medicinæ auditor idoneus fuerit,
etiam si horoscopo, vt vani nugantur Astrologi, aut somnio
monente, (id quod Galeno contigit) medicinæ sacris destine-
tur, nisi etiam raras illas animi simul ac corporis fortunæq; do-
tes vel cumulatissimas sortitus sit.

Naturam videlicet solius veritatis tota vita studiosam, per-
spicacem, ingenio felici, memoriâque fideli præditam, ac pru-
dentem.

Gal.lib. de
cōstitu. ar-
tis medice:
et Hippo.
lib. de pra-
cept.

6 ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

2. Corpus integrum ac studiorum laboris patientissimum.
3. Facultates amplissimas aut saltem mediocres.
4. Optimos quoque sui temporis præceptores, qui iam inde à puerō ipsum rationalibus disciplinis, Grammatica, Logica, Musica, Astronomia, maximè verò Arithmeticā, & Geometriā (vt Plato consuluit) atque adeò Philosophia, diligenter ac methodo certa imbuant: quam in rem libri Galeni demonstratorii sunt utilissimi. Cætera medico futuro necessaria libro de medici officio & honestate: & libro de Chyrurgi munere cum Galeni commentariis 3. docet Hippocrates.

*Optimus
quisq; medi
aus idem est
et philo-
sophus.*

Porrò auditorem his artibus quas percep̄sui probè instruētum, paucis præterea ad medicinam apparari oportet, vt ad medicorum libros accedat non modò instructior, sed etiam viæ in illis perlegendis tenendæ certior.

Imprimis igitur hos Galeni libros diligenter perlegat.

Hortationem ad artes discendas.

De vocabulorum rectitudine 1.

De captionibus, quæ in dictione consistunt 1.

Expositionem antiquarum dictionum Hippocratis. 1.

De arte lib. 1. Hipp. De prisca medicina lib. 1. Hipp.

De præceptis medico seruandis librum 1. Hipp..

Iusiurandum Hippocratis. De lege libellum Hipp.

De natura mancum librum Hipp.

De significatione nominū Græcorum ex scriptoribus Atticis & Comicis, congestos propter philosophos & medicos noua dictionum Græcarum significata scribentes, libros 48.

Quorum adhuc desyderatorū loco esse possint Lexica quædam medica, & libri definitionum Galeni, seu de vocabulis medicis, cùm erit illorum potestas. Nam qui definitionum medicarum libri titulo Galeni falso circunferuntur, vt Galenica quædam continent, ita etiam non pauca Galeni doctrinæ, hoc est, veritati pugnantia docent. Potest tamen quisquis est Hippocratis & Galéni lectione multa exercitus, ex ipsorum scriptis vocum mædicarum diffinitiones aliquot in vnum colligere: modò id purius præstet ac verius, q̄ Otho quidam suo Onomastico. Legat p̄tereā medicinæ auditor futurus, historiam philosophorū Galeno adscriptam: & eiusdē librū. Quod optimus medicus, idem etiam philosophus esse debet: & librū de Optima doctrina: & de sectis, scriptum his qui introducuntur: & de optima secta, cuius vix octaua pars est in versione veteri,

veteri : & de subfiguratione empirica : & de experientia medica,librum iustæ magnitudinis , in quo Pelopis præceptoris rationes scribuntur,afferentis medicinam non posse per solam experientiam consistere:& Philippi empirici , posse affirmantis. Post hos doceri possunt : liber de partibus artis medicæ,ad Iustum in veteri versione : de constitutione artis medicæ : & liber de arte medica, sic tamen illorum interpretatione temperata, vt tantum rudis quædam medicinæ (quam totam libri hi duo epitome perstringunt) imago auditori velut per transennam proponatur verius,quæ explicetur . Nam quæ medica theorematæ in his duobus libris densissima sunt , absoluto iam medico reficiendæ memoriæ gratia & confirmandæ,ratione optima demonstranda sunt, non tyroni nouo frustâ inculcanda . His apparato probè auditori ordine quodam opus est ex rerum natura sumpto, quem in legendis Hippocratis & Galeni libris(quibus medicina est absolutissima) sequatur,vt non modò breuiorem sed etiam certiorem, atque manifestiorem viam teneat,in qua ceu gradus quosdam,priores libri posterioribus præstruant,& memoriæ fœcunditatem miram pariant. Ordinem huiusmodi leuiter perstrinxit Galenus in fine libri de arte medica,& libro 2. methodi:absoluerat verò in libello de ordine libros suos legendi : qui si integer nobis supereffet , hac institutione nostra non magnopere egeretur: nisi non ordinem solum , sed ordinis etiam rationem doceret, sumpto hinc initio.

Medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorū: scilicet corporum, signorum, causarum. Ad quæ tria , corpora inquam, signa, causas: salubria, insalubria, neutra: ceu capita quædam, & genera summa, referuntur omnia quantumvis particula, quæ in tota medicina traduntur: & qui hæc tria cognouerit, ac in his se multum diuque exercuerit , is demum medicus fuerit optimus. Medicina verò cùm ibi scientia dicitur, latius scientiæ nomen & communius , non autem propriè accipiatur . Est enim revera ars *τεχνη*, hoc est, factuarū & opus aliquod relinquentium numerò: non tamen simpliciter, vt ædificatoria domum, futoria calceum, textoria pannum: sed veluti ea quæ collapsas ædes instaurat, & calceos fractos, & vesteres laceras resarcit. In hoc enim genere sanitatis tuendæ studium, & morbi profligandi consistit.

Primum enim sanos tum nos tum alios nosse , deinde ægros
a iiiii cupi-

*Gal. in arte
medica ex
Herophilo.*

8 ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

cupiuimus: postmodùm artem constituere, quæ sanitatem seruet: aut si abiit, efficiat, desiderauimus. Qua ratione ars factiva est medicina, iam factum opus sed lapsum corpus instaurans. Quum igitur corpus humanum ceu factam iam domum consideremus, quomodo qui exactè cognitus est, qualis est dominus, ex eius resolutione sola in partes: primum maiores, posteà minores, postremò minimas, ipsius velut elementa, vt lapides, cœmenta, ligna, intelliget: ac in harum singulis substantiam, magnitudinem, numerum, figuram, applicationem mutuam, & usum obseruabit. Sic humanum corpus quisquis est perfectè cognitus, dissolutione eius per anatomias: primùm in magnas partes, & instrumentarias, posteà in minores, denique in minimas & similares, vera & propria hominis elementa, comprehendet: singularumque substantiam, magnitudinem, numerum, figuram, situm, connexionem, usum, actionem, contemplabitur. Quas res per compositionem Deus & natura prænoverunt, vt ædicator primus, omnes domus partes ad usum aliquem antè statuebat. Homini verò non exactè sed tantum quadrantibus nouisse datum est, quam nos viam cōpositoriam medicum formando seruamus: ob idq; vniuersam corporis humani naturam, & omnes corporis eius dispositiones sanas, ægras, neutras: harum denique dispositionum omnium causas salubres, insalubres, neutras, signis propriis à medico per nosciorum tere confirmamus. Vnde tres primæ & generalissimæ partes medicinæ statuuntur, Physiologia, Hygiæne, Therapeutice.

Physiologia est tractatio de corporis humani natura, citra cuius absolutam cognitionem, frustra aut sanitatem tueri, aut morbos profligare contendis.

Hygiæne est, quæ corpus sanum similibus seruat, per sumenda, admouenda, educenda, facienda, tempore & dignitate prior.

Therapeutica, hoc est, curatoria, quæ corpus ægrum sanitati restituit, morbo per contraria profligato.

Alii medicinam in partes primas plures diuidunt, tanquam superior diuisio omnes medicinæ partes non exhauserit: sed eas tantum quæ corpus sanum & ægrum spectant, expresserit, neque eas omnes, ob id addunt Pathologiam, Aetiologiam, Semioticon: & alias permultas, de quibus mox agemus.

Pathologia affectus præter naturam, morborum scilicet & symptomatum differentias declarat.

Aetiologia docet causas morborum, symptomatum, sanitatis

PER IACOB. SYL. MEDICVM.

tatis, & eorum quæ sanitatem sequuntur. Sunt enim causæ salubres, insalubres, neutræ.

Semæotice, signa declarat salubria, insalubria, neutra : & ea vel demonstratiua præsentium affectuum, vel prognostica futurorum, vel memoratiua præteriorum, quorum multo minor est usus quam duorum priorum generum.

Sed hæ tres medicinæ partes sub tribus illis generibus primis facilè comprehenduntur. Nam sanitatem seruare, aut morbum abigere nequeas, nisi per signa vtrumque cognoueris, & causas vtrique salubres adhibeas, insalubres fugias. Ut rursus sub Therapeuticæ, Diæteticæ viciis ratione : Pharmaceuticæ medicamentis præsertim sumptis, sed etiam admotis: Chærurgicæ manu curantem, omnes nostri maiores locauerunt. ad quam Cosmetice, id est, ornatrix: & Commetice, hoc est, fucatoria, interdum quoque reducitur, interdum ad Hygiænen, uti Analeptice, id est, renutritoria : & Prophylace seu Prophylactice, id est, præcautrix ad vtramque reduci possit, diuersis tamen rationibus. Quapropter harum Galenus meminit in libris sanitatis tuendæ, & therapeuticis. Vtrique etiam, Hygiæna inquam & Therapeuticæ, merito conueniat Gerocomice, hoc est, senes educandi ratio : cum senectus neque integra sanitas sit, neque omnino morbus, sed status quidam neuter: vt in morbū paratorum, aut à morbo reualescentium. Ob id Galenus eam in libris salubribus inter neutras dispositiones descripsit: vt Pædotrophicæ, quæ pueros educat: & Euecticæ ac Gymnasticæ inter sanas. Alii scrupulosius diuidentes tot propemodum Therapeuticæ differentias adscriperunt, quot sunt corporis partes, & harum morbi, quales sunt:

Ophthalmice, oculorum morbis prospiciens.

Odontice, dentium.

Cynanchice, cynanchis.

Pleuritice, pleuritidibus.

Paracentice, id est, punctoria in hydrope & suffusione.

Tomice, id est, incisoria in hernia.

Lithotomice, quæ calculum vesicæ, & vt docet Hippocrates, renum quoque execat.

Hedrice, quæ affectibus sedis medetur.

Arthritice, arthritidibus : & quæ haud ita pridem inuenta est miseris mortalibus ægris Hydrotice, sudationes, morbum septentrionalem quo non pestilentior alter, curans: scripta Iacob

ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

cobo Castrico Hæfbrocano Antuerpiensi Medico . Ne interim omittam , quæ annis circiter quadraginta ante hydroticen inuenta est, Alæpticen, hoc est, vnguentum, quæ luem initio Hispanicam , nunc verò toti orbi communem & publicam, ipsa elephantia multò sæuiorem , multis alioqui symptomatis illi similem, curare conatur vnguentis ex argento viuo , & aliis quibusdam. Cuius hodie quæstus est longè vberrimus, sibique adiunxit magna ax parte Leptodieteticen , cum ligni Gaiaci decocto: & interdum Thymiamaticen, hoc est, suffitu quodam ex argento viuo & sulphure simul vstis curatricē. Cuius partis alæptices , immensa hodie volumina plena inuenias , vt etiam parua vrbe atque adeò villa Alæptes aliquis peritus & reuctor viuere etiam lautè suo lucro possit : cùm à dictis nuper therapeutices particulis, ophthalmice, odontice , & cæteris aliis dicti medici, iam inde à Galeni ætate viuant Romæ tantum, & Alexandriae, & Parisiis , & in aliis solum magnis vrbibus : paruas verò sæpe mutare cogantur.

Cùm igitur tres tantum sint medicinæ partes primæ, Physiologia, Hygiene, Therapeuticæ, & in his cæteræ comprehendātur. doceamus iam quibus Hippocratis & Galeni libris, quo ordine lectis, vnam quanque perdiscamus. à Physiologicis ob id auspicati, quòd illi naturam corporis humani iam inde ab elementis ad usq; perfectam organi cuiusque & totius fabricam omnibus integris actionibus naturalibus, vitalibus, animalibus præditam perdoceant. Legantur autem eius libri hoc ordine.,

PHYSIOLÓGICI LIBRI.

De natura hominis Hippocratis liber unus, cum Galeni in eum commentariis quinque, quorum duobus iam factis : tres alios scripsit Galenus, afferentes librum de natura hominis non esse adulterinum, sed verum Hippocratis , & his suis placitis Hippocratem vbique consentire, contra quorundam calumniam . Galenus in libris suis

De elementis secundum Hippocrat. Quibus elementa docentur poc. in natura hominis. { mistis omnibus cōmunia, &

Galeni cōmentariorū lib. duo propriæ aīalis sanguine p̄diti. In quorum demonstratione ea tantum attigit Galenus, quibus est usus Hippocrates : cætera docet lib. 13. demonstrationum : libro quinto & sexto de placitis Asclepiadis : libro de facultatibus medicamentorum purgantium : in libello hac de re scripto : & in libello ipsi ascripto, quòd qualitates sunt sine corpore

corpore.

An sanguis natura sit in arteriis Gal.
in Erasistratum.

De humoribus 1. Hipp. cum Gale-
ni 3. comment.

De atra bile Gal. 2. Alter verò ex
Galen, Rufo, Aëtio collectus.

De seminis genitiui natura Hipp.

De spermate lib. 2. Gal.

De ratione procreandi liberos Gal.
quē citat in cōmēt. in li. de nat. hu. Hip.

De membrorū cōpage seu de nat. hu-
mana, Gal. attributus in veteri versione.

De natura fœtus Hipp.

De formatione fœtus Gal. (ē Gal.

An aīal sit quod in corpore contine-

De partu septimestri et octimestri H

De superfœtatione mulierum Hip.

De nō pferētibus & infœcūdis Hip.

De virginum natura Hipp.

De fœminea natura Hippocratis.

De calore natuō contra Lycum, reprehendētem Aph. 14.
lib. 1. Hippocratis.

Introductio seu medicus Herodoti liber, non Galeni, vt ex
commentario Galeni 3. i. particulæ secundæ, lib. sexti Epide-
miōn liquidò apparet.

De pueri dentitione lib. 1. Hipp.

De ossium natura Hipp.

Osteotome. i. ossium diuisio, à qua cur inci-
piendum, ratio est initio Administ. anatomic.

Chondrotome, cartilaginum.

Syndesmotome, ligamentorum.

Arteriotome, arteriarum.

Phlebotome, venarum.

Neurotome, neurom.

Myotome, muscularū diuisio: & simul Te-
nontotome, id est tendonum.

Arthrotome, articulorum.

Hæc Myotome compendio tradit omnia de musculis scripta,
in libris Administrationum anatomicarum, ad quas mox ab
oste-

Quibus elementa a-
nimalis propria se-
men & sanguis, men-
struus tamen in mu-
liere, & animalis ex
his formatio & par-
tus traduntur.

In q̄bus & se-
quētibus ana-
tomicis elemē-
ta hoīs ppria
hoc est, ptes si
milares (q̄bus
organicæ con-
stant) actionū
authores de-
clarantur.

ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

osteotome transiri potest omissis cartilaginum, ligamentorum, vasorum, nervorum anatomis, ut pote inibi descriptis.

Ophthalmotome, quam etiam lib. 10. de vsu partiū docet.

Metrotome, id est, uterini diuīsio lib. 1. obstetrici cūdā scripta.

De instrumento olfactus lib. 1. In quibus partium quarun

De carnibus Hippocrat. {dam organicarum anato-

De corde Hipp. } me traditur.

De articulis Hipp. cum Galeni commentariis 4.

De glandulis omnium partium Hipp.

De corporum sectione Hipp.

De locis in homine Hipp.

De virginum & foeminarum natura Hipp.

De sectionis controversia lib. 2. Gal.

De anatomie viuorum. Quorum meminit Gal. in libris

De anatomie mortuorum suis, & in fine artis medicæ, ne

quis suppositios putet: sed qui in veteri versione est de
anatomie viuorum, Galeni non est: Galenum enim perfa-
pe citat: tamen legi potest cum iudicio.

Administrationum anatomicarum libri 15. pulcherrimi:
quorum decimus & reliqui sequentes desiderantur.

De anatomie Hippocratis, libri quatuor Galeni. Juuenibus

De anatomie Eralistrati, libri duo Galeni } scripti.

De anatomie parua, Galeno ascriptus in veteri versione.

Epitomatum libri quatuor, in libros viginti Marini anato-
micos, omnium corporis partium quantumvis exiguarum ana-
tomias fusissimè exprimentes: in quorum 16. quæstiones tracta-
tur de cerebro: an motus eius sit pulsatorius, & an respiratio in
cerebrum fiat: & decimus septimus de principatu cerebri.

Epitomatum libri duo in libros Lyci anatomicos.

Commentarii de ignoratis in anatomie à Lyco Macedoni-
co Quinti discipulo, omnium in anatomis peritissimo.

De vsu partium corporis humani lib. 17. omnium anatomici-
corum pulcherrimi, doctissimi, planè diuini, & qui ab omni-
bus intelligantur dignissimi. Ex quibus, nescio à quo Arabe,
lib. 10. de iuuentis membrorum excerpti, & veteri versione
semilatini sunt facti: ut in prologo veteri in lib. de vsu partium
patet legenti.

An post tot tamque absolutos Hippocratis & Galeni anato-
marum libros, hominis physiogam ex Platonis Timo, qui
est de hominis natura: aut ex Ciceronis lib. 2. de natura Deo-
rum

rum discere requiris? Multò minùs, opinor, ex Guidonis, Mundini, Alexandri Benedicti libr̄is anatomicis, vel barbarie, vel ignorantia crassissima plenis: omnium minimūm ex Carpi picturis, partes hominis propè omnes exprimentibus, quām infeliciter, norunt, qui veram naturæ historiam, hoc est, humani corporis sectionem manibus suis aliquoties tractarunt, atque oculis suis non semel obseruarunt. Id verò munus etiamsi felicissimè obiuisset, mulierculis oculos pictura inani, pasturis tātum oblectamento fuisse, & personatis quibusdam medicis, ostentationi. Medicum autem rationalem remorantur magis vmbrae huiusmodi, quām promoueant. Nam corpus ipsum medico futuro est sāpe videndum, sāpe manibus tractandum, idque totum non superficie tenus: ut partium corporis omnium substantiam, magnitudinem, numerum, figuram, situm, cōexionem, tanquam vngues & digitos cognoscat, non autem solam partium superficiem pictura expressam. Quapropter intercidit vixdum nata farrago illa Carpi, sumptuosa quidem sed nullam in rem vtilis. Quòd si plantas non dico pingi, sed ne describi quidem voluit Galenus, verum per manus tradi & doceri, an futilem vanāmque partium corporis nostri picturam tolerasset? an his formatum recepisset medicum? nisi fortē pictos homines curaturum? Neque credas ad has Galeni anatomicas descriptiones vbique exactissimas & verissimas quicquam posse etiam maxima doctissimorum industria accedere. Quod tu probe iudicabis, si libros eius Græcos cum libro naturæ, & humano corpore contuleris: non autem Latinos locis permultis corruptissimos. Sed ad pensum redeamus. Post anatomicos, legendi sunt tibi

De temperamentis libri duo: nam
tertius de temperamento simplici-
um medicamentorum, ante hæc le-
gendus.

De inæquali intemperie
Animi mores corporis tempera-
turam sequi Gal.

De optima corporis cōstitutione
De euexia. i. bono corporis habitu

Parui hi tres libri amicis quibusdam scripti pro illorum captu
& vſu.

In quibus facultatum (à
quibus actiones prode-
unt) principia & essen-
tiæ docentur, & sequen-
tibus.

14 ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

- De facultatibus nostrum corpus dispensantibus 1.
- De substantia facultatum naturalium 1.
- De facultatibus naturalibus tres.
- De vrinarum secrezione lib. 1. contra eos scriptus, qui sanguinem à renibus mutatu, vrinas creare putant, Gal. in lib. de atra bile. In quibus actiones nē hominis pri- mariam confer- uans actio , scili-
- cet nutritio, & quæ illi seruiunt actiones aliæ naturales, traduntur.
- De facultatibus animalibus 1.
- De mente, mancuse est lib Hipp.
- De placitis Hippocratis & Platonis, lib, 8. sed primus desideratur.
- Animi mores corporis temperaturam sequi, & contrâ.lib. 1.
- De motibus manifestis & obscuris.
- De motu muscularum 2.
- De motu superciliorum malè tradito à quodam.
- De voce libri quatuor à Galeno citati in suis libris.
- partium, & Agricolæ placet, melius perficitur.
- De causis respirationis.
- De vsu respirationis.
- De motu thoracis & pulmonis 3.
- adolescenti cōdiscipulo scripti, ex Pe- lopis præceptoris dogmate, paucis à Galeno inuentis, quæ ad finem libri eius tertii scribuntur.
- Eisagoge pulsuum 1.
- De vsu pulsuum 1.
- De differentiis pulsuum 4.
- De dignotione pulsuum 4
- De causis pulsuum 4.
- De præsagiis ex pulsibus 4.
- Cōpendiū & epitome pulsuum 1.
- in dictos nunc libros sexdecim, Galeno citata in Therapeuticis libris, in exemplaribus græcis defyderata: videt esse cōpēdiū puls. in veteri versi.
- De pulsibus contra Archig. 8.
- In quibus , vt libris Aristotelis de ani- ma, de sensu & sensato, docetur sensus & motus volūtari- us, per quas actiones primaria hois actio id est, ratiocinatio, cum Aristotele, vel sermocinatio, vt Galeno lib. 16. de vsu
- Hi omnes licet motum volūtariū etiā doceant, tamen eodem spectant quo sequentes.
- In his & paulò superi- oribus, vt Aristoteli in lib. de lōgitudine & breuitate vitæ, docet actio scilicet vita, sine qua pri- maria hominis actio nu- per dicta consistere ne- queat.

Hactenus

HYGIEINE.

Hactenus ipsum hominem viuum & sanum absoluimus: nam ex substantia, materia, & forma, & accidentibus ipsi substantie qualitatibus (quæ principia sunt simplicia, ac omnium rerum elementa ultima & remotissima) naturæ elementa quatuor, ignem, aërem, aquam, terrâ, coaluisse docuimus: ex his verò per alimenta, humores in nobis quatuor, sanguinem, pituitam, bilé flauam, & atram: atque ex his sperma masculinum & fœmininū, & sanguinem menstruum: ex quibus partes corporis nostri similares, tam spermaticæ quam sanguineæ, singulorum organorum materiæ, propriaq; & propinquissima nobis elementa conformatae sunt. In quarum triplicis substantiæ spirituosa, carnosæ, solidæ, iusta quantitate, & proba qualitate, est facultatum naturalis, vitalis, animalis, nostrum corpus gubernantium, hoc est, vitæ ipsius essentia & robur.

Supereft igitur ea nunc ascribere quibus ipsa sanitas nostra tā fluxa, tam lubrica, tā facilis, mutari à quauis causa insalubri potest, vel integra vel integræ proxima diu seruari. Nam omnino seruari integra neqt, quod corruptelæ & interitus nobis est cognata necessitas: vt demonstratur initio sanitatis tuendæ. Seruabitur aut idonea quantitate, qualitate, tempore sumendorum, educendorū, admouendorū, faciendorum: quæ docentur libris

De alimento Hippocratis, cum Gal. comment. 4.

De alimentis 3. Galeni.

De aquis, aëre, regionibus Hippocratis, cum Galeni commentario.

De vino Gal.

Sumenda { De aqua Gal.

De ptisana, qui Galeno ascribitur.

De euchymia & cacochymia 1.

De attenuante & crassante victu 1.

De flatibus 1. Hipp.

De vsu humidorum Hipp.

De corporis fluore perpetuo 1.

Educenda { De re venerea, (Galeno ascriptus.

De vrinarum differentiis & signis Hipp. & aliis

Admouenda De lauationibus Hipp.

Facienda { De exercitatione per paruam sphæram Gal.

{ De re venerea Hippoc. etiam ad facienda reducit

Galenus in libris salubribus.

16 ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

- De salubribus rebus Hipp.
- De ratione victus salubris Hip. cum Gal. comm.
- De ratione victus priuatorū Hip. cum Gal. cōm.
- Omnia il.
- la 4. simul Empiricæ diætæ subfiguratio Gal.
- An medicinæ, vel gymnaſticæ sit ars sanitatis tu-
- endæ, ad Trasibulum liber 1.
- De sanitate tuenda 6. Gal.
- De consuetudine 1. Gal.

P A T H O L O G I A , A E T I O L O G I A ,
S E M E I O T I C E .

At quoniam in his salubribus causis quantitatem, qualita-
tem, tempus, ad vnguem feruare est difficile, vt aliquando à
mediocritate cuique homini sua non recedamus. Hic autem
recessus etiam si parvus est, frequens verò est, paulatim corpus
immutando, affectibus præter naturam parat. Et quæ prius
causæ fuerant salubres, sumenda scilicet, educenda, admouen-
da, facienda, hæc ob mutatam insigniter quantitatem, qualita-
tem, tempus, insalubres & morbos euadunt. A quibus tandem
aliqua saltem vna actione insigniter vt sensu percipi possit, læ-
sa, vel pluribus simul læsis fit morbus (affectus homini præter
naturam) ob id abigendus, ac etiam quia actionem lædit: pro-
pter quam partium & totius sanitatem requirimus.

Ob id sanitas iam perdita est recuperanda, & morbo tan-
dem profligato per salubres causas effectrices, instauranda.
Morbi autem naturam docent libri sequentes: sed cùm mor-
bus sit triplex, primus partium similarium (quæ primæ sunt,
& propinqua nobis elementa) intemperies calida, frigida, hu-
mida sicca: calida humida, calida sicca, frigida humida, frigi-
da sicca: & hæc vel sola, vel cum aliqua materia, vt sanguine,
pituita, bile alterutra, seroso aquosoque humore, flatu, & vapo-
re. Secundus partium organicarum ex similarium iusta
magnitudine, numero, figura, situ, connexione idonea: conflatu-
rum incommodatio, in magnitudine, numero, figura, situ,
connexione tam similarium, quam ipsorum organorum.
Postremus ambarum communis, & qui alterutri per se, vel si-
mul utrique potest accidere, solutio continua, ab incisione, fra-
ctione, tensione, erosione: secundum horum morborum ordi-
nem libri possunt legi.

Post hos illi qui omne morborum genus complectuntur,
quos si etiam primos legas, nihil peccaueris.

De inæ-

PER IACOB. SYL. MEDICVM

12

- De inæquali intemperie lib. 1. Gal.
- De differentiis febrium 2.
- De marasmo i. tabe 1. libellus puus amico datus.
- Similares morbi } De atra bile seu melancholia Gal.
- } De atra bile alius ex Galen. Rufo, Aëtio Sicamio.
- } De infania Hipp.
- } De comate Gal.
- } De tremore, spasmo, rigore, palpitatione.
- } De vitiis & passionibus animæ.
- De mobo sacro seu comitiali Hipp.
- De epilepsia, eodem morbo, Gal. obstruktione fit.
- De marasmo omni Gal. corpus in hoc minutum est.
- Organi } De tumoribus præter naturam, Galeni: corpus aut pars in hoc immodicè augetur: quia tamen in eo est simul intemperies pro humoris ipsum facientis natura, & primum apostema, tandem etiam apostema: in communes omni morbo libros reiici potest.
- } De vulneribus capitis Hippocratis.
- } De vulneribus lethalibus Hipp.
- } De fracturis seu fractis & luxatis ossibus, & eorum repositione Hipp. cum Galen. commentar. 3.
- Cómunes } De ulceribus & fistulis Hipp.
- } De hæmorrhoidibus Hipp.
- } De fœminarum morbis lib. 2. Hipp.
- } De virginum morbis lib. 1. Hipp.
- De gynæcis, id est, muliebribus & vteri morbis, & remediis, versus à Nicolao Regio Calabro, aliorum multorum Galeni operum interprete antiquo, rudi quidem sed fidelis, cuius exemplaria certè castigatissima & integerrima vellem Venetis & Germanis fuisse in manibus: non tot hiatibus, tot erratis portentosis, scateret Galenus his impressus. Hæc miror Venetos in Calabria non conquisisse, in qua fuit medicus ab hinc annis circiter centum, anno salutis 1463. Eusebius, 1363. pontifice Vrbano quinto, vt Guido Cauliacus de eo scribit in initio.
- De dignotione & curatione singulorum animi affectuum, Galeni.
- De differentiis & causis morborum & symptomatum libri sex.
- De plenitudine 1.

18 ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

De causis continentibus & propinquis morborum Gal.

De causis procatarticis seu externis Gal.

De morbis lib. 4. Hipp.

De morbis internis & externis Hipp.

Epidimiorum primus & tertius, verè Hippocratis, cum Galeni commentariis 6. in utrumque tribus.

*Commenta
rij 8 in sex
tum Gal. in
libris suis
de cōmet.*

Epidemiorum secundus cum sex Galeni cōmentariis: quartus, sextus, à Thessalo Hippocratis altero filio, ex relictis à patre per tabellas commentariis consarcinatus. quorum sextus in peregrinatione obseruatos passim morbos non epidemios continet, cum sex commentariis Galeni.

Epidemiorum quintus Hippocratis iunioris, qui filius fuit Draconis, alterius filii Heraclidæ & magni Hippocratis. quem quintum nōnulli etiam Thessalo tribuunt, vt & septimum, qui aperte Galeni sententia spurius est, ac incerti autoris.

De typo Gal.

Ad eos qui de typo scripserunt Gal.

De quatuor temporibus morborum vniuersalibus, Principio, incremento, statu seu vigore, & declinatione: seu tota morbi duratione.

De quatuor temporibus morborum particularibus: seu de accessionum principio, incremento, statu & declinatione.

De crīsibus lib. 3.

De diebus decretoriis lib. 3. Gal. Est etiam Hipp. unus.

De morborum decretorio Hipp.

De morborum septimanis diebus Hipp.

De locis affectis, quos Galenus statim subiungit lib. de diff. & causis morborum & symptomatum in libris suis.

De noscēdis oculorū morbis, Ophthalmico cui dā scriptus.

De dyspnœa lib. 3.

Ars medica Gal.

De loti differentiis & signis Hippocratis: & alius Galeno ascriptus.

T H E R A P E V T I C I L I B R I .

Postquam libris proxime superioribus morborum omnium essentiam, species, causas, symptomata, tempora, formas, morem, signa, & in quibus corporis partibus hi sunt, didiceris: iam horum ex corpore dispositionem per contraria ipsis remedia addere oportet, quare rendaque auxiliorum ad hanc rem idoneorum materia, in sumendis, educendis, admouēdis, faciendis,

quæ

quæ declarant abundè libri huiusmodi.

De alimentorum facultatibus: nam hi vt de euchymia & cacochymia, attenuante victu, ptisana, & cæteri ad Hygianen pertinentes, cum Galeno ad Therapeuticen sunt vtiles: quoniam in hac vires seruare similibus oportet, aut saltem fouere, & consuetudini, id est, consuetæ per sanitatem victus rationi, in sumendis, educendis, admouendis, faciendis, aliquid condonandum est, Hipp. Aph. 17. lib. 1. Proprii autem Therapeutics hi libri fuerint.

De temperamentis liber tertius, hic enim est de temperamentis non hominum, sed simplicium medicamentorum.

De facultate simplicium medicamentorum lib. 11.

De simplicibus ad Paternianum in versione veteri.

De simplici medicamento vñus, Galeno attributus.

De paratu facilibus medicamentis vñus Galeni, sine principio, quem citat lib. Methodi: & alter ad Solonem Architatum libris duobus Græcis diuisus in vnum coactus, sed in principio quam Græcus auctior in veteri versione, tamen letione dignus.

De facultate Centaurii Gal. attributus in veteri versione.

De generalibus medicamentorum facultatibus, in veteri interprete: alter ibidem longissimus de Dynamibus i. facultatib.

De medicamentis à totius substantiæ similitudine agentibus, à Galeno in simplicibus aliquoties promissus, quæ secreta vulgo vocamus.

De catharticis, id est, medicamentis purgantibus humores, & à singulis propè partibus, Galeno in veteri versione affrictus maxima sui parte optimus.

De virtute pharmacorum purgantium, diuersus à priori, in veteri interprete, & Græco exemplari æqualis.

De helleboro Hippocratis.

Antiballomena Galeno affricta.

Postea horum vtendorum, modus, quantitas, qualitas, tempus, & quæ cætera aliquid indicant, sunt cognoscenda ex libris sequentibus:

Methodo medendi seu Therapeutica. lib. 14.

Arte curatiua ad Glauconem lib. 2. illorum 14. Epitomi.

De remediis paratu facilibus, i. sine principio.

Alius ad Solodem scriptus, vt nunc dictum est.

De curatione morborum per venæ sectionem, hirudines,

b. iiiii uulSIONEM

20 ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

uulsionem, cucurbitas, scarificationem liber tertius. Nam pri-
mus de phlebotome est in Erasistratum, secundus in Erasistra-
tios Romæ manentes, Erasistratum defendantes.

De curandi ratione secundum Erasistratum.

De tabe & eius curatione, quem ob id etiam Therapeuticū
facit Galenus.

De atra bile duplex in Pathologia dictus: vterque etiam
Therapeuticus.

De agnitione affectuum animi & remedio.

Consilium puero epileptico datum Gal.

Curatio icteri Galeno ascriptus in veteri versione, optimus
libellus.

Quomodo arguendi qui fingunt se ægrotare.

De visu Hippocratis.

Quos oporteat medicamentis purgare, & quibus, &
quando.

De affectuum renum agnitione & curatione, Galeno ascri-
ptus liber, vti & de vrinis.

De gynæcis libellus in veteri versione, non negli-
gendas.

De potionibus medicis Hipp.

De telorum extractione Hipp.

De pueri in utero mortui extractione Hipp.

Liber secretorum, Galeno malè ascriptus in veteri ver-
sione.

Liber de medicamentis expertis, bonus, ibidem.

De compositione medicamentorum generali lib. 7.

De compositione medicamentorum cuique parti & mor-
bo idoneorum lib. 10.

De antidotis lib. 2.

De compositione Theriaces, & eius commodis ad Cæsa-
rem in veteri versione.

De theriaca ad Pisonem.

De theriaca ad Pamphilianum, qui in veteri versione ma-
lè ad Pamphylum scribitur, & pauca in principio & fine o-
missit.

De ratione victus in morbis acutis lib. 4. Hipp. cum Gale-
ni commentariis tribus, in partem eius libri quæ verè est Hip-
pocratis, duobus in reliqua Hippocrati eo libro attributa.

Reliqui Galeni in Hippocratis libros quosdam etiam thera-
peuticos

peuticos commentarii, plurima continent therapeutica theorematia, vt commentarii

Quatuor in lib. de articulis.

Tres in librum de fracturis.

Vnus in librum de ulceribus.

Vnus in librum de vulneribus capitis.

De ponderibus & mensuris Galeno asscriptus.

Medicum verò in curatione, vel etiam ante curationem, coram ægro vel ægri parentibus & amicis præsentire ac prædicere oportet, præsentia, præterita, & futura (de his enim tribus temporibus utrumque dicitur Hippocrati, vt docet Galenus initio Prorrheticorum & Prognosticorum) & quæ æger prætermittit, vt morbi naturam, & ægri conditionem agnoscere credatur, & ob id se audentius medico committat. Vt etiam victus rationem, atque adeò totam curationem felicius instituat: vt salutem quoque certam possit promittere, vel mortem futuram prænunciare, non ex astris, & astronomicis quibusdam schema tibus nugacissimis, sed ex ipsa rei natura, hoc est, morbi essentia, genere, quantitate, more, tempore, & ægri viribus cōtra morbum tales ac tantum pugnantibus, robustis. & ob id morbum victuris: vel imbecillibus, & ppterid morbo cessuris. Quæ res medicum admirabile & propè diuinum, & à calunnia de ægri morte liberum reddit. Hanc in rem utiles sunt libri omnes predicti physiologici, præcipue omnes de pulsibus, quos inter prognosticos, post eos qui de Criticis diebus, & Crilbus recenset Galenus in libris suis, & ordine: & de Dyspnœa, & aliis actionibus. Ad Hygienen pertinentes, pathologici, ætiologici, semæotici: præcipue Locorum affectorum: Epidemii: Therapeuticci item omnes. Præter hos verò in id præstantissimi sunt,

De Coacis prænotionibus, lib. 1. Hipp.

Prognosticorum Hip. lib. 3. cum Gal. commentariis tribus.

Prorrhetica, id est, prædictiones Hipp. cum Galeni commentariis tribus, Hæc prorrhetica ut prognostica in tres diuiserunt libros, fortasse ob tres Galeni commentarios. Calvus prorrhetica tantum in duos libros diuisit. Utrumque opus, & Aphorismos ex Epidemiis videtur Hippocrates collegisse, tanquam ex particularibus experimentis vniuersales sententias, Galen. lib. primo de diebus criticis.

De prænotione 1. Gal. pulcherimus.

Præfa-

22 ORDO IN LEG. HIP. ET GAL. LIB.

Præfigia ex insomniis unus Hipp. & alter Galeni.

De languentium insomniis Hipp.

De decubitu prænotiones ex mathematica scientia, Galeno
asscriptus.

Aphorismorum lib. 7. Hippocratis, licet septimus sit an-
ceps, cum Galeni commentariis. In his enim plurima sunt ad
prænotionem prædictionemque maximè idonea: quædam ad
Therapeuticas partes, diæteticen, chirurgicen, pharmaceuti-
cen: alia non pauca ad alias medicinæ partes pertinent (ut do-
ctè exploranti manifestum est) in quos omnes veluti epitome,
est ars medica, quam etiam totam constituere docet libro de ip-
sius constitutione.

Quod siqua in his medicinæ partibus, aut obscuriora sint,
aut fortè maioribus non satis comperta (neq; enim omnia aut
inuenerunt, aut nouerunt, aut scripserunt) ex posterioribus ea
illustrare, aut locupletare oportet: Græcis, Rufo, Aë-
tio, Aretæo, Paulo, Oribasio, Alexandro Tralliano, Diosco-
ride, Actuario. Arabibus, Serapione, Auicenna (vbi
tersus erit) Auenzoar, Haliabate, Rafe, Mesue. Latinis,
Celso, Plinio, Scribonio, Marcello Empirico, Leoniceno, Her-
molao, Ruellio, Manardo, Fuchsio, Musa, Acakia, & si quos a-
lios felix hoc sèculum ad illustrandam artem medicam exci-
tarit. Arnal. Villanouano, Gordonio, Alejandro Benedicto,
Montagnana, Varignana, Sauonarola, Valesco de Taranta, Gi-
rardo de Solo, Arculano, Tornamira, Gatinaria. Et cæteris
propè innumerabilibus, quorum nullus tibi est contemnendus,
sed in singulis vèlut mellificum colliges, si ab his feliciter ex-
perta obseruaris. Nullus enim est scriptor tam ineptus, qui non
aliqua parte iuuet, vt Plinii utrū verbis, modò iudicium adsit,
lectione doctiorum quæsitus & firmatum.

Veruntamen quum libros Hippocratis, & Galeni prædi-
ctos omnes, saltem hodie prostantes profiteri longissimum &
molestissimum fuerit: ob id in singulis medicarum partium ge-
neribus aliquot delegimus prælegendos, cæteris cuiusque di-
ligentiæ relictis, utpote quos facile sit intellecturus ex nostris
prælectionibus. Nobis igitur interpretandi sunt,

De natura humana seu hominis elementis, liber unus.

De temperamentis libri duo.

De facultatibus naturalibus libri tres.

Eisagoge pulsuum liber unus.

Ordo Gal.
lib. 2. meth.
medendi.

de mo-

PER IACOB. SYL. MEDICVM 23

De motu muscularum lib. 2. & aliis ad animalem facultatem
pertinentibus.

De vsu partium lib. 17.

De alimentis lib. 3.

De sanitate tuenda lib. 6.

De differentiis & causis morborum & symptomatū libri sex.

De locis affectis lib. 6.

De temperamentis liber tertius.

De simplicium medicamentorum facultatibus lib. 11.

Methodi medendi lib. 14.

Liber tertius Pauli A Eginetæ, cum

Practica Gatinariæ, vel alterius.



